

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica VII. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA VII. POST TRINIT.

Evangelium Marc. 8. v. 1 -- 9.

EXORDIUM

CUm Fratres Josephi in Egyptum venirent ad fratrem, com meatûs emendi gratiâ, ob difficilem annonæ caritatem, quæ Palæstinam occuparat, mandabat Josephus Procuratori suo, ut impleret saccos eorum frumento, & poneret pecuniam singulorum in summitate sacci, scyphum autem argenteum, & precium tritici poneret in ore sacci junionis. Fecit id Procurator, & hoc ipso eos in magnam consternationem & angustias conjecit, Gen. 44. v. 1. seqq.

Hæc historia *typus Christi* est, qui nos etiam bonis suis ditat, & implet omne animal beneplacito, Psal. 145. v. 16. educit enim panem de terra, ut vinum lætificet cor hominis, & nitidam faciat faciem in oleo; & panis cor hominis confirmet, Psal. 104. v. 15. hoc modo adhuc hodie sine testimonio semetipsum non relinquit, benefaciens, de celo dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra, Act. 14. v. 17.

Interea tamen non sine afflictione nos relinquit, ne carni frena laxemus, & ejus obliviscamur, sicut Judæi fecerunt, postquam pascua habuere & saturati sunt, ut conqueritur Deus, Os. 13. v. 6. quia calix in manu Domini, vini meri plenus infusus: & effundit ex eo, veruntamen feces ejus sorbeunt, & bibunt omnes impii terræ. Psal. 75. v. 9.

Sicut igitur Josephus scyphum suum jussit ponere in sacco fratris junioris, quem præ cæteris dilexit: Ita etiam non iræ, sed amoris signum est, quando Deus uni atq; alteri calicem crucis porrigit. Quem enim diligit Dominus, castigat, Hebr. 12. v. 6. quod si verò virgâ castigatoria nihil efficit, arripit scopam exterminationis, & tribulat nos, ut inveniamur, Jer. 10. v. 18. vel elevat calicem iræ, ut feces calicis titubationis ebibendo ex fugamus, & potat usque ad feces, Esa. 51. v. 17.

Hoc præ gustum nobis præbet ad applicationem hodierni Evangelii, ubi audimus de turba, quæ triduum cum Christo commorata, conciones ejus magno fervore auscultaverat, quâ de causa etiam sibi illam cibandam proposuerat, non verò confestim id facit, primo vel altero die, sed probat eosdem in scholâ crucis, dum nihil habeant, quod manducent, unde adeò debilitati, ut verendum esset, ne si dimisisset eos jejunos in domum suam, deficerent in viâ, maximè illi, qui de longè venerant. Similis afflictio adhuc hodiè Evangelii comes est. Est enim verbum crucis, 1. Cor. 1. v. 18. & omnes qui juxtâ illud piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12.

Videbimus nunc

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

Exe-

JJ.

Exegetis.

Optimè ait Regius Propheta David: Inquirentes Dominum, non destituentur omni bono, Psal. 34. v. 11. id quod verificatur in prælectâ Pericope, quia enim turba in magna frequentia inquisiverat, & insequuta fuerat Dominum, misericordiâ ergâ ipsos movetur, non habentes quod manducent, eosque ita cibari, ut saturati, optimè contenti, iter suum absolvere, domumque repetere possint.

Querela respicit

I. *Victus peruriam.* Etsi enim paupertas quoque à Deo venit, Sir. 11. v. 14. attamen pœna peccati est, quæ post lapsum demùm initium sumit. Aliàs inopia & pauperies in mundo non fuissent, si Protoplasti in Paradiso mansissent, nec peccassent. Ager non indignisset culturâ, sed spontè fructus produxisset: Arbores non opus habuissent insitione sed suâ sponte crevissent: plantæ non eguissent irrigatione, siquidem fluvius eosdem spontè humectasset. Verùm post lapsum omnia in deterius vergunt, unde Evangelium prælectum ita incipit: Turba multa erat (cum Jesu) nec habebant, quod manducarent. Sic adhuc hodiè nonnunquam commeatu deficitur solet, potissimum quando Deus terram puniturus est. Habet enim naturam in manu suâ. Et sicut automatarium faber, horologium adornare potest, ut non modò multa loquatur, sed & pauca: Sic Deus annum coronare potest benignitate suâ, Psal. 65. v. 12. sed & facillè frumentum auferre potest, & annonæ caritatem immittere, si bona & dona ejus

profundantur, & nescire nolumus, quod ipse det frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicet & aurum, Ol. 2. v. 8. Utitur hic Deus

1. *Mediis conspicuis.* Quando aut prohibet imbrem, ut licet pluat super unam civitatem, super alteram civitatem non pluat, Amos 4. v. 7. hinc confusi sunt agricolæ, ululaverunt vitatores super tritico, vino, & hordeo, quia periit messis agri, Joël. 1. v. 21. sive pluvias super suas mittit, ut fruges meri nequeant, sed in agris computrescant: si emiserit enim aquas, subvertit terram, Job. 12. v. 15. sive pruinas & frigus Majale, grandinem, & insecta immitit, quibus frumentum depascitur & perit, Joël. 1. v. 4. sive accersit Deus populos, qui pecora abigunt, agriculturam impediunt, sementem pessundant, & ita studiose annonam in angustias cogunt, ut superiori bello, quod dilectam patriam nostram inundarat, satis experti sumus, ubi terra, quæ antè quasi hortus voluptatis erat, quasi solitudo deserti facta, Joël. 2. v. 3.

2. *Mediis inconspicuis.* Quando maledictiona immissa omnia consumit, ut nemo rationem ejus reddere possit: Seminatur multum & inferatur parum, Hag. 1. v. 6. aut licet inferatur, tamen evanescit, ut acervus viginti modiorum fiant decem, & quinquaginta lagenæ fiant viginti, Hagg. 2. v. 17. aut germen non facit farinam, Ol. 4. v. 7. Breviter, ipse maledictione suâ illud perdere potest, ut licet in cibario habeas, vel dentibus comminuas, vel & stomacho immiseris, tibi nihil prodest, & commedens non satureris, Ol. 4. v. 10.

Hæc & alia media habet Deus, quibus efficere potest, ut dicatur sicut in Evange-

zz

lio:

Vid. supra.
part. 2. p. 278.

lio: Non habent, quod edant. Cautè igitur ambulemus, & peccata declinemus, ne iram & maledictionem Dei incurramus. Ipse quippe ait: Si populus meus audierit me; Israel si in viis meis ambulaverit: brevi eorum inimicos humiliarem, & super tribulantes eos verterem manum meam, Psal. 81. v. 14.

II. *Hominum incuriam.* Hic audimus, Christum quidem commiserationem habere cum turbâ & misericordia populi tangi, quod triduum secum commoratus, non habeat, quod manducet. At Apostoli parùm fortè hâc de re solliciti fuerunt, ideò ubi Dominus ipsis significat, quod nolit turbam jejunam dimittere in domum suam, quia periculum sit, ne deficiant in viâ: illi tergiversantes quærunt: Unde sumemus panem in deserto?

Idem adhuc hodiè evenire amat, si unus aliquis est, qui necessitatibus Sanctorum fideliter communicat, aut ad res sacras quicquam legat, aut monumentum aliquod in templis erigit, ibi plurimi inveniuntur, qui sinistrè interpretantur illud, dicentes: Ad quid perditio hæc? Hinc fit, ut amor magis magisque frigescat, Matth. 24. v. 13. & nemo ferè quicquam pariat super contritione Joseph, Amos 6. v. 6.

Hoc à Diabolo est, qui verus est *ἐπιχαιρῆσαι*, coram quo gaudet in æror, unde etiam Abaddon dicitur, Apoc. 9. v. 11.

Fugiant hoc vitium Christiani, sintque compatientes, fratrum amantes, misericordes, 1. Petr. 3. v. 80. Sumus enim membra ejusdem corporis, Christus est caput, Eph. 1. v. 22. Sicut igitur in corpore humano hæc harmonia obtinet, ut, si quid pati-

tur unum membrum, compatiantur & omnia membra, gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, 1. Corinth. 12. v. 26. Sic & verus Christianus proximi fortuna moveatur, ut non modò gaudeat cum gaudentibus, sed & fleat cum flentibus, Rom. 12. v. 15. Psal. 41. v. 1. seqq.

Veteres avaritiam variè depinxerunt, inter alia quoque in formâ viri, qui in cistâ sedet, & manus compactas in gremium ponit: hoc ipso innuentes avaros, thesauros & opes suas abscondere & concludere, ne quis illis fruatur, ideò hic in arca sedet, ne quis illam aperiat, & manus conclusas habet, hoc est, ut Siracides ait: Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis, Sir. 14. v. 5.

Verùm de Christo dicitur: Manus ejus sunt circuli aurei pleni Hyacinthis, Cant. 5. v. 14. h. e. plenæ cælestium bonorum, quæ non à nobis abscondit, sed præstat abundè nobis ad fruendum, 1. Tim. 6. v. 17. Discamus hoc ab ipso, ut & nos necessitatibus Sanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13. facile tribuamus & communicemus egentibus, 1. Tim. 6. v. 18.

Quando igitur quempiam Christi vestigia legere, & ex commiseratione manum suam ergà proximum aperire videmus, non prohibeamus ipsum, sed potius stimulemus, & ipsi pro facultate erogemus, quò Ecclesia, Scholæ & pauperes sustententur; Hic est *παροῦστος τῆς ἀγάπης*, ad quem Paulus hortatur, Hebr. 10. v. 24.

III. *Multorum injuriam.* Apostoli dicunt: Unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine. Lutherus reddidit: *Woher nehmen wir Brod hic in der Wüsten.* Non, quasi vi aliis panem eripere velint,

velint, & ad cibandum populum adhibere: sed hoc scire avert, quis com meatum ipsis advecturus sit, si Christus in sententia sua persistere, & populi multitudinem jejunam non dimittere velit.

Qui adhuc hodie aliquid sumit, unde jure sumere potest, minus ei dedecorosum est. Verum si mundi hodierni morem intueamur,

Hic sumit panem *mutuando*, dum promtus est ad mutuandum, difficilis verò ad reddendum. Mores illorum describit Siracides cap. 29. v. 6. & seqq. Psalm. 37. v. 21.

Ille sumit panem *defraudando*, variis utens insidiis & technis, quibus circumvenit in negotio fratrem, 1. Thess. 4. v. 6. quisquilias frumenti vendit, imminuit mensuram, & auget siclum, & supponit stateras dolosas, Amos 8. v. 6. & verbo: propter inopiam delinquit, Sir. 27. v. 1. Verum ejusmodi bona non sunt bona, nec juvant hæredem, Jer. 17. v. 11.

Iste sumit panem *fœnerando*, dum proximum iniquis usuris & fœnore aggravat. Verum hoc ipso gravissimè peccatur. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, quâ fœnus exerceri solet, Deur. 23. vers. 19. Tandem sequetur maledictio, Job. 20. v. 17. seqq.

Hæ species furti sunt, quibus contrà septimum præceptum peccatur. Inhabita proindè terram, & victum quære in veritate. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, Psalm. 37. v. 3. 4. Quod si panem quotidianum accipere vis, invoca Dominum ex animo, & aperiet manum suam, dabitque quæ rogabis juxta

illud: Petite & accipietis, Matth. 7. v. 7. Confer Sir. 11. v. 15.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fuit
I. Ex Christi condolentia. Ait enim: Misereor super turbam. Hæc inexhausta scaturigo & fons est, ex quo omnia oriuntur & derivantur, quæ comedimus, & quibus vivimus. Ideò non diligentia & labori nostro adteribamus; nam à nobis ipsis tanquam à nobis ipsis æque nihil habemus, ac turba hæc in Evangelio, postquam in Adamo planè ad incitas redacti, unà cum amisso Regno cælorum, etiam plenariam jurisdictionem, in pisces maris, aves aëris & omnia quæ ex terris enascuntur, & in terrâ repunt, amisimus. Verum dante Deo colligimus: & aperiente illo manum suam, satiamur bonis, Psalm. 104. v. 28. Hoc facit singulis diebus, non ex debito, sed ex merâ misericordia, quæ viscera ejus conturbat, ut non expectet, donec pulsemus: sed ut populi hinc curam gerit, antequam de inopia panis quisquam queritur: ita adhuc hodie, antequam clamemus, nos exaudiet: adhuc nobis loquentibus audiet, Esa. 65. v. 24. Iple enim fame pressus, Matth. 4. v. 2. & miseriam nostram expertus est: ideò quàm optimè novit, quomodo affecti sumus, quando in pauperiem, calamitates & adversitates incidimus, & quia caro & sanguis ejus sumus, propter quos vitam quoque suam profudit, non odisse nec derelinquere nos potest, sed portat nos quasi in utero, Esa. 46. v. 3. & affectu verè materno, quin plus, quàm materno nos

prosequitur, Esa. 49. v. 15. ut rectè exclamet Moses : Diligit populos! Deut. 33. v. 3.

Hoc ipso sollicitudinem reprimamus, si res adversæ ingruant. Servator noster Jesus animo in nos est misericordissimo, & quando nemo vult juvare, ipse juvabit, nec in æternum dabit afflictionem justo, Psal. 55. v. 23.

II. *Ex Christi omniscientiâ.* Videt enim & novit penuriam hujus populi, numerat quoque dies, quamdiu illa pressi sint, idèd dicit: Jam triduo sustinent me. Ita adhuc hodiè dies afflictionum & miseriarum nostrarum, imò quamlibet horam, puncta quoque temporis numerat, quæ omnia descripta sunt in divina providentia, ut sine voluntate ejus ne capillus quidem capitis cadere possit, Matth. 10. v. 30.

Quando igitur exactam hanc Christi, qui omnes dies vitæ nostræ, omnes dies miseræ nostræ, quos nobis decrevit, numeravit, providentiam in mentem nobis revocamus, eò melius confirmare nos possumus, quia exploratum nobis est, quod dies quoque & horas definiverit, quando nos juvare, cibare & exhilarare velit. Quia non repellet in sempiternum Dominus, etiamsi affligit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, Thren. 3. v. 31. Tob. 3. v. 22.

III. *Ex Christi omnipotentiâ.* Apostolis absurdum videbatur, quod Dominus in deserto, ubi neque feritur neque metitur, neque frumentum neque farina præsens erat, tantam turbam cibaturus esset, propterea quasi exoptulantes ajunt: Unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Hæc cantilena veteris Adami

est, quam adhuc hodiè frequenter audies. Hinc querelæ: Sumus in solitudine, in ejusmodi loco, ubi omnia argento comparanda: Commercia frigent: nemo nos conducit, unde tandem victum & amicum comparabimus?

Verùm veri Christiani respiciant miraculosam manum Christi, cui omnia facilis, quæ nobis impossibilia videntur. Vocatur enim mirabilis, Esa. 9. v. 7. potens superabundanter facere super omnia, quàm petimus, & intelligimus, Eph. 3. v. 20. Nihil itaque prodest, ut cum carne & sanguine deliberatum eas: sed in silentio & spectit fortitudo nostra, Esa. 30. v. 15, unde & Pater æternus dicitur, Esa. 9. v. 7. qui per multa annorum millia Regnum suum administravit, cujus sapientiæ non est numerus, Psal. 147. v. 5. quod hîc luculenter probat, dum septem panes & paucos pisciculos, manu sua miraculosa ita auget, ut non tantum quatuor millibus sufficiant, sed & fragmenta plura supersint, quàm antè fuerunt. Sic opus commendat artificem, qui hoc ipso implevit, quod promisit: Victui ejus benedicam, Psal. 132. v. 15. & sicut in primævâ creatione omnia ex nihilo fecit, Gen. 1. v. 1. ita hîc ex paucis multa facit, & hanc multiplicationem anniverfariè imò quotidie adhuc continuat, Ezech. 36. v. 11. dum ex uno granulo vel centum producit, sicut Isaac expertus est, Gen. 26. v. 12. Quin & hic Zemah, omnia in te, in oculis, & sub manibus cescere facit, quæ comedimus & bibimus, Zach. 6. v. 13. & sanctificat quoque benedictione suâ, ut nobis in sanitatem vergant. Alias Dæmon infernalis nullum bolum non veneno inficeret, quin & in lacte materno mortem bibis-

bibissemus, coram ipso enim gaudet mœ-
ror. Job. 41. v. 13.

Quod verò truculentiam suam exerere
nequit, id Christo acceptum feramus, qui
non dormit neque dormitat, Psal. 121. v. 4.
sed cujus inspectio est in electis suis, Sap. 3.
v. 9. quos non modò hîc in tempore gra-
tiæ custodit, ut pupillam oculi, Psal. 17. v. 8.
sed salvos quoque faciet in Regnum suum
cœleste, 2. Tim. 4. v. 18. ubi non amplius
esuriemus neque sitiemus, Apoc. 7. v. 16.
Sed Sol & clypeus erit Dominus, gratiam
& gloriam dabit Dominus, non privabit
nobis eos, qui ambulant in innocentia,
Psal. 84. v. 12.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur
Regulis, ut sunt

I. *Deo gratias age.* Id est Christus nos suo
exemplo docet: ubi enim panes accipit,
gratias agit antè Patri suo cœlesti, qui illos
dederat.

Idem & nos faciamus: hæc enim est
voluntas Dei ad nos. Cum comederis &
satiatus fueris, benedicas Domino Deo
tuo, pro terra optima, quam dedit tibi,
Deut. 8. v. 10. Siracides idem vult, inqui-
eas: Super his omnibus benedicito Do-
minum, qui fecit te, & inebriantem te, ab
omnibus bonis suis, c. 32. v. 17. Paulus
quoque ait: Sive manducatis, sive bibitis,
vel aliud quid facitis: omnia in gloriam
Dei facite, 1. Cor. 10. v. 31. Omnia enim
sanctificantur per verbum Dei & oratio-
nem, 1. Tim. 4. v. 5.

Hoc observant aves sub cœlo, quando
manè avolant victum quæsituræ. Si ci-

bum invenerunt & satiatae sunt, in hono-
rem Dei cantilenam modulantur, voce,
quâ à Deo ornatae sunt.

Ecce suum tireli, tireli, teretireli tra-
ctans

Candida per vernum ludit alaunda
solum.

Imprimis vero Scriptura mentionem fa-
cit pullorum corvorum invocantium suo
modo Deum, Psal. 147. v. 9.

Quidni & nos homines potius ante &
post cibum preces nostras funderemus?
qui verbo Dei instructi scimus, omne do-
num bonum, & omne donum perfectum,
venire desuper à Patre luminum, Jac. 1.
v. 16. *Mensa ab oratione incipiens, & in ora-
tione desinens, nunquam deficiet, sed fonte lar-
gius omnia bona nobis offeret,* ait Chrystos-
mus. Sacrificans laudem, honorificabit
me, & illiciter, quo ostendam illi salutem
Dei, Psal. 50. v. ult.

De Judæis scriptum est: Sedit populus
manducare, & bibere, & surrexerunt lude-
re, Exod. 32. v. 6. hic precum nulla injicitur
mentio, propterea à ita Deus benedixit illis,
ut plerique prostrati sint in deserto, 1. Cor.
10. v. 5.

Pro omnibus beneficiis suis, quibus
Deus nos affatim cumulat, nihil magis
desiderat, quàm gratiarum actionem, hanc
si à mundo ingrato impetrare nequit, in-
dignatur, nosque per Mosen affatur:
Hæcine reddis Domino, popule stulte, &
insipiens? Deut. 32. v. 6. Si emendamus
mores, gratum est ei: Sin minus, senten-
tia jam tum lata est: quod non bene fu-
turum sit beneficia non compensanti,
Sir. 12. v. 3.

II. *Frugalitati stude.* Id fecit populus in

prælecta Pericope. Servator neque assatis neque carnibus, sed panibus hordeaceis, & pisciculis paucis eos cibavit, attamen id magis illis aridet quam vituli & arietes delicatulis Hierosolymitanis, Esa. 22. vers. 13. Magnus ergo quæstus est pietas, cum animo suâ sorte contento, 1. Tim. 6. v. 6. In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit, usque ad choleram, Sir. 38. v. 32. & seqq.

Omnes Sancti in victu frugalitatem observarunt, sicut videmus in Abrahamo, qui convivis suis butyrum & lac obtulit, Gen. 18. v. 4. in junioribus studiosis tempore Elisæi, qui collegerunt herbas agrestes, 2. Reg. 4. v. 39. In messoribus Booz, qui intingebat buccellam suam in aceto, quod in maximis delitiis habebant, Ruth. 2. v. 14. In Habacuc, qui coxerat pulmentum. Fragm. Daniel. In Baptistâ, cujus esca locustæ, & mel sylvestre, Matth. 3. v. 4. Quin Christus ipse in diebus carnis suæ comedit panem necessitatis, non voluptatis, ut Beda loquitur. Primi quoque Christiani in agapis suis assumpsisse dicuntur, *Quantum pios docet, & pudicis utile est.*

Hâc quoque laude à Cornelio Tacito celebrantur veteres Germani, quod cibum simplicem, lac concretum, & poma agrestia comederint: & tamen robusti & sani fuerint. Sic & de Daniele, ejusque sociis dicitur, quod à cibo leguminum apparuerint vultus eorum meliores & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio, Dan. 1. v. 15.

Hoc ad instructionem nostram observemus, ut non modò contenti simus præsentibus, Hebr. 13. v. 5. sed & fragmenta, quæ supersunt, sedulò colligamus, ne quid per-

eat. Siquidem quilibet pater-familias seipsem sportas semper præsentibus habeat, ut singulis quæ conveniunt imponat.

Prima sporta est Ecclesia, ubi quilibet cultus divini rationem habeat, ut ille conservetur, juxta illud: Prov. 3. v. 10.

Altera est scholarum, ne illæ intereant, sed anniversariè juvenus adolescat, & in artibus & linguis erudiatur, quò Ecclesia & Resp. in esse suo conservetur. Ubi enim scholæ negliguntur, ibi nil, nisi mera barbaries sequatur necesse est, Proverb. 29. v. 18.

Tertia est Magistratus, cui debetur tributum, Rom. 13. v. 6.

Quarta necessitati nostra reservetur. Tempus enim ingruere potest, ubi vel infirmitate, vel senio delassati, nihil amplius acquirere possumus. Hic non exiguus quæstus est, si quid in juventute comparaveris, ne aliorum ope indigeas. Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tuâ invenies, Sir. 25. v. 5.

Quinta pro liberis impleatur, quò honestè educentur, dotentur, & habeant, quod post mortem hereditent. Si quis enim suorum, & maximè domesticorum curam non habet; fidem negavit, & est infideli deterior, 1. Tim. 5. v. 8.

Sexta est pauperum, qui aut infirmi, aut alii calamitati immergi sunt, & mediis necessariis destituuntur, quibus se sustentent. Hos non sine auxilio relinquant. Quancunque enim illis exhibueris Deus compensabit, licet potus aquæ frigidæ saltem fuerit, Matth. 10. v. ult.

Septima est pro bono communi, ut illud in esse suo conservetur, id enim singulis conducit. Hinc Deus ad Judæos in captivitate

tate Babylonicâ constitutos: Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: & orate pro eâ ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis, Jer. 29. v. 7.

Hoc qui non agnoscit, sed quotidie genio indulget, videat ne tandem ad stipem redigatur, ut filius prodigus, Luc. 15. v. 16.

III. *Panem esurientibus frange.* Hic audimus, Christum esurientibus panes fregisse & dedisse discipulis suis, ut apponerent eos turbæ. Hoc non fortuito factum. Hoc ipso enim Servator innuere voluit, quando legatos suos promtè susceperim⁹, iisdemq; largiti fuerimus, quibus egent, se nos non inopes deserturum, sed exiguis ita benedicturum, ut cum illis edamus, & omnes saturemur. Hinc factum, quod in V. T. Israelitæ panem & polentam & spicas non potuerint comedere, antequam Domino de iis sacrificarint, & primitias ad Sacerdotes detulerint, Levit. 23. v. 10. In genere præceptum est: Frange esurienti panem. Esa. 58. v. 7. seqq.

Exempla sunt, vidua Sareptana, 1. Reg. 17. v. 13. Obadias, 1. Reg. 18. v. 4. Jobus c. 31. v. 17.

Hæc exempla & nos imitemur, ut juxta auream Tobie regulam, quomodo potuerimus, misericordes simus. Si multum nobis fuerit, abundanter tribuamus: Si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri studeamus, Tob. 4. v. 9.

Hoc si fecerimus, bonum opus faciemus, nec tam pauperibus, quam nobismet ipsis proderimus. Mutuò enim dat Domino, qui miseretur pauperis, & retributionem suam reddet ei, Prov. 19. v. 17.

Nos erogamus terrena & temporalia, & recipimus cœlestia & æterna, ejusmodi thesauros thesaurizantes nobis, quos nec ærugo, nec tinea demolitur, & quos fures non effodiunt, nec furantur, Matth. 6. v. 20.

Nos proximo communicamus vilem obolum, vel frustum panis, vel pannos detritos, quibus nuditatem suam contegere possit: & recipimus gratiæ grossum vitæ æternæ, Matth. 20. v. 8. ubi nos Christus ad mensam cœlestem evecturus, & torrente voluptatis suæ potaturus est, Psal. 36. v. 9. quin & induet nos vestimentis salutis, & indumento justitiæ aperiet nos, Esa. 61. v. 10. ne appareat confusio nuditatis nostræ, Apoc. 3. v. 18. sed digni inveniamur stare antè Filium hominis, Luc. 21. v. 36.

Nos largimur de iis, quæ in morte relinquimus, & recipimus opes verissimas, Prov. 8. v. 18. nulli vanitati subjectas, sed quæ æternæ sunt & manent in cœlo, hinc rectè Augustinus: *Fac bonum de bono, unde non es bonus, ut acquiras verum bonum*: quod Christus ita explicat: Facite vobis amicos, de Mammonâ iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, Luc. 16. v. 9. Qui enim parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, 1. Cor. 9. v. 6. & aliquando cum exultatione portabit manipulos suos, nempe manipulos æternæ salutis, Psal. 126. v. ult.

Quos Deus omnibus nobis largiri dignetur, per & propter Christum, Amen.

DOMI-